



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 5. Duo Senatores Regii rursum in aurum inquirunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

equaleoque suspendi jubet, & acriter torqueri. Sed per summa tormenta nihil expressum aliud, quam quod verum affirmaret, cum negaret se quid de phantastico Urvaicensi auro referre. Ergo, inquit Praetor, capite lues calumniam. Jamque destinabatur ad ultimum supplicium, quando Socii, Ducas sui memores pro hostibus suis orantibus, a Praetore postulant, ut mitius plecteretur. Non evasit tamen cruentam ducentorum verberum flagellationem, & extra provinciam perpetuum exilium. Atque haec fuit aureæ fabulæ catastrophe, quæ utrum plus detrimenti, quam veræ laudis, Societati attulerit, prudens Lector dispiciet.

**S**ED quamvis in America, eo maximè quo retuli modo, expuncta calumnia fuerit: in Europa tamen, quod cupitissimi auri fama volaverat, adhuc vigebat. Nonnulli enim Societatis osores, quod coram ausi non sunt, litteris ad Senatum Regium datis, auri Urvaicensis ab Societate reperti indices se professi fuerant, arbitrati forsitan calumniam ob intervalla locorum nusquam ad liquidum reductum iri. Sed secus, quam cogitaverant, accidit. Nam postquam Senatus Regii jussu, Garabitus Senator Regius reperit accusationem firmitate catere, delatores ipsos ultrò se mentitos fuisse fastos, partim grandi pecuniâ, partim exilio multavit. Sed quia Garabitus coram ad designata Urvaicæ loca non descendisset, & ideo male fartam telam sycophantæ retexissent, tufsumque Societatem de repetto ad Urvaicam auro apud Regem accusassent, tandem Senatus Regius cum severissimis mandatis Joannem Ulasquium Valverdium Senatorum Regium, auctum inspectoris Regii titulo, & Pataquariensis Praetoræ dignitate, fastidioso negotio finem impositurum è Peruvia mitti procuravit: qui evocatis ad se veteribus recentibusque auri Urvaicensis delatoribus, secumque cum selecta militum cohorte tractis, ad Urvaicam contendit; ubi examinatis omnium calumniatorum libellis, cum nihil de auro se rescisse, & aut aliorum suaſu, aut suâ sponte mentitos scripto dictoque coram Senatore, legitimisque testibus professi fuissent, & nihil proprius esset, quam ut deformarentur; rursum Societas intercessit, rogans ut mitius in eos animadverteatur. Igitur Joannes Ulasquius pro potestate sententiam de auro Urvaicensi pronuncians, delatoribus grandi pecuniâ multatis, Societatis famam restituit. Quam sententiam Limæ typis impressam, & per utrumque Orbem divulgatam, postquam ex authenticis instrumentis Rex Catholicus cognovit, laudatâ Societate, quod pro vexatoribus suis intercessisset, suarum partium esse dixit, in hujusmodi quadruplatores severius animadvertere, ne pœna levitas bono publico fraudi esset. Sic Urvaicensis auri fabula post vigesimum pœnæ ab origine annum æquali Societatis laude, ac impostorum infamia, ex utroque Orbe explosa est; simulque ruit in Socios non Hispanos contorta calumnia, adeo vehemens, ut parvum absuerit, quin omnes, cum insigni de honestamento, è Paranensisibus Urvaicensibusque missionibus in Europam postliminiò transportarentur.

**A**D DIDERANT enim aureæ fabulæ propagatores gravissimam criminatio nem: scilicet ab Patribus Societatis non Hispanis in Urvaicæ littore eratum aurum, ad Brigantinum & Gallum, Hispani tum nominis hostes, transmitti, indeque fieri, ut Gallia tamdiu ferociret, & bellum in Catholici Regis perniciem continuaret. Adumbratum veri specie mendacium est: nam narrabat nonnemo, audivisse se cum in Belgio militaret, & cingeret cum Regio milite Picardiae urbem, hostilem exercitum ex dejectum & tristem drepente exiliisse gaudio, ut satis appareret inexpectato quodam subsidio ad novas spes exarsisse, cumque Hispani duces causam investigarent, ab exploratoribus compertum, tantam auri vim ex aula Gallica exercitui transmissam, quanta sufficeret ad stipendia militi liberalitet solvenda, & bellum novo nervo confirmandum. Cum vero ulterius inquireretur unde tanta vis auri Gallo suppeteret? incertis authoribus per exercitum divulgatum, aurum illud Americanum esse, clam per prodictionem ex Urvaica Gallo submissum. Sed subruto aureæ fabulæ fundamento, suapte etiam cecidit superposita transmissa per prodictionem auri sycophantæ moles: adeo nullo Religiosissimorum virorum

Torquatur.

Coffigatur.

## CAPUT

V.  
Duo Sena-  
res Regii  
rursum in  
aurum in-  
quirunt.Garabitus  
Senator pu-  
nit auri de-  
latores.Joannes  
Ulasquius  
auri delato-  
res ad Ur-  
vaicam con-  
vocat.Convictos  
mendacii  
grandi pœ-  
nia multat.CAPUT  
VI.  
Criminatio  
de misso  
extra Ame-  
ricam Ur-  
vaicensi auro  
explodi-  
tur.Fama men-  
dax auri  
fabulæ.